Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 515

Quelle:
Copyright:

mero dierum VI. *Libris*, non tamen in capita divisis, omnia prout Edit. *Maur. Paris.* 1686. T. I. col. 1. f. Initium est: *Tantumne opinionis assumpsisse homines* &c. Lectio raro ab Editis abit. C. 1. ubi haec: *quod ei mens divina, ut putant, inesse videatur*, Codex rectius: *inest*.

II. *fol.* 95. *Incipit De Paradyso Liber Primus.* Ita et in calce, quamvis scribendum erat *Unus.* Initium est: *Et plantauit deus paradisum* &c. *De paradyso adoriundus sermo non mediocrem estum* &c. Ut T. *cit. col.* 145. cujus lectio fortasse pluribus locis e Codice juvari possit, qui v. g. C. 1. pro *vir aliquis*, habet *vix aliquis*, item *Numquid indigens eorum* pro *numquam*, item *in illo pacis futurę tempore degere* pro *in illo pacis futuri tempore* absque *degere* &c.

III. *fol.* 120. *Incipit De Cain & Abel Liber Primus.* Ita deinceps et *Secundus.* Initium est: *De Paradyso in superioribus pro captu nostro, ut potuimus* &c. Ad finem L. II. nobis deest ultima περικοπη: *Unde in lamech septuagies septies vindicatur* &c. Lectio ad Edita T. *cit. col.* 183. non adsurgit; C. tamen 1. *n.* 3. facile videt lector inter verba *Abel* et *qui omnia* interponendum esse e Codice *Luctus.*

IV. *fol.* 146. p. 2. *Incipit Recapitulatio sancti Ambrosij de Paradyso et de fonte ac fluminibus et de Ligno Vite.* Scripsisset potius, ut fecit in calce, *Recapitulationes de Genesi*; non enim solus hic Liber, sed deinceps reliquus *Pentateuchus*, et Liber *Josue* pervaditur allegoricis Expositionibus, et Quaestionum Resolutionibus. Et *Genesis* quidem ita incipit: *Plantaverat autem Dominus deus paradysum voluptatis a principio. Paradysus ecclesia est. Sic enim de illa legitur in canticis canticorum. Ortus conclusus es soror mea. A principio autem paradysus plantatur, quia ecclesia catholica a christo principe omnium condita esse cognoscitur. Fluuius de paradyso exiens imaginem portat christi de paterno fonte fluentis* &c. *Exodus* incipit ita: *Quod septuaginta anime ingresse sunt egyptum cum iacob. significat septuaginta discipulos* &c. *Leviticus* ita: *Diuersitates hostiarum que in ueteri testamento immolabantur dominice passionis imaginem figurauerunt* &c. *Recapitulationes* biblicas ab *Ambrosio* editas nemo novit. Sed neque lectas esse ex *Ambrosii* Scriptis ab alio liquet; nullibi enim S. Doctor Paradysum dixit Ecclesiam, aut Christum fluvium de Paradiso exeuntem, aut septuaginta Animas totidem ejus discipulos, aut Mortes esse quatuor &c. Insuper et Stilus Autorem *Ambrosio* multo recentiorem sapit. Quis vero, et unde has Allegorias legerit, me peritiores dicent.

CCLXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 137. f. luculente et bene perscriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij Garstensis* O. S. B. in *Austria* superiore aliud Exemplar est *Ambrosii* mox relati R. 3288

He-